Universitätsbibliothek Paderborn

Habacvc Propheta

Habakuk

Argentorati, 1526

VD16 B 3952

Omnia trahit hamis, ac sagena sua capit, & plaga sua congregat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35974

Visual Library

Omnia trahit hamis, ac ſagena ſua capit, & plaga ſua congregat.

E Chaldæis piſcatores facit, quemadmodum ex Nimrod Moſes uenatorem. Geneſis. 10. Et uti recenſui, multiplicia ſunt homini uaſa, quibus deprehendat piſces. Sic & hoc loci regi Babylonis tribuit, non ineptum eum eſſe piſcatorem, qui uaria ſua poteſtate omnia ad ſeſe attrahat, capiat ac colligat. Porrò hami, ſagenæ, retia nihil aliud ſunt, quàm ingentes exercitus ſui copiæ, quibus omneis ſibi ſubiugauit terras ac totius mundi bona, aurea & argentea κειμήλια pecunias, cenſus, tributa ad ſe Babylonem contraxit, ut & uaſa templi Hieroſolymitani ſecum abduxerit. Quid enim aliud eſt, ubi tantus rex exercitum ſuum in terram aliquam ablegat, & capit, quàm ut promptam pecuniam, aurea & argentea ſiue uaſa ſiue ornamenta, præterea & homines rapiat, & ſecum abducat, poſtremo, cenſus ac tributa eius prouinciæ retineat. Idque piſcatoris in morem, qui eiecto reti ſuo, quicquid cœperit attrahit ad ſeſe & adſeruat, quod non peßimum fuerit.

Propterea lętatur & exultat.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN